6

# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

*PRO GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


JOANNES O'DWYER,

*HIBERNUS,*

SOCIETAT. REG. PHYSIC. EDINEN. SOC. HONOR.


---

*Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus et ægris*
*Faucibus exsuperat gravis halitus :*
——— *qui dicit Medico.*

PERSII Sat. iii.

*Gutture sulphureas lentè exhalante mephites.*

Idem.

---

viii. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.


EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805

VIRO OPTIMO

GEORGIO STACPOOLE,

DE *CRAGBRYAN*,

IN COMITATU *CLARIÆ*,

ARMIGERO;

ANIMI INTEGRITATE,

MORUM ELEGANTIA,

LITERIS ALIISQUE VIRTUTIBUS,

QUÆ HOMINEM EXORNANT

CONSPICUO:

OB

BENEFICIA PLURIMA

IN FAMILIAM COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM

CUM SUMMA OBSERVANTIA

D.D.Cque

AUCTOR.

ITEMQUE,

ITEMQUE,

VIRO PRÆCLARO

VEREQUE BENEVOLENTI

CAROLO PAULET BOLTON,

DE *ENNIS*,

IN COMITATU EODEM,

ARMIGERO;

OMNI VIRTUTE PRÆDITO;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

OB

AMICITIÆ TESTIMONIA

QUIBUS

AUCTOREM ET AMICOS SUOS

DIGNATUS EST,

GRATI ANIMI MONUMENTUM,

SACRAS ESSE

VULT

JOANNES O'DWYER.

## ERRATA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Pag. 2. | lin. 16. | *pro* | quinetiam, | *lege* quin, etiam |
| 3. | 16. | | essent; | sunt; |
| 6. | 15. | | *dele* ac | |
| 10. | 10. | | ne | næ |
| 13. | 9. | | gaudientes, | gaudentes, |
| 16. | 19. | | humore | humori |
| 22. | 13. | | duraverat, | duraverit, |

*Cœlum ipsum sub quo degunt homines, nonnunquam ægros facit. Unicuique nimirùm regioni suum inest vitium: sive calidior justo, sive frigidior fuerit, sive varia, multisque et subitis tempestatis mutationibus obnoxia.*

*Aër quoque ipse, qui purus sacram vitæ flammam alit, impurus factus, eandem vel statim extinguere potest, vel multis vaporibus onustus, aut nocivis quibusdame ffluviis corruptus, ingentem morborum cohortem inducere.*

GREGOR. *Conspect.*

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

## DE

# CYNANCHE TRACHEALI.

VARIAS inter affectiones quibus patet genus humanum, nulla forsan opem artis Hippocraticæ maturiùs postulat, vel attentionem medicorum sibi vindicat, quàm *Cynanche Trachealis*; non solùm ob subitum morbi impetum, periculosumque symptomatum aspectum, verùm etiam, ob teneram ætatem quam plerumque adoritur.

Morbum de quo in paginis sequentibus disserere institui, antiquos omninò latuisse, et

 nostro

nostro ævo peculiarem esse, injustè creditur; nam ad hunc planè referendum est sequens Hippocratis prognosticum: "Angina gravissima quidem est, et celerrimè interimit, "quæ neque in faucibus neque in cervice "quidquam conspicuum facit, plurimum "verò doloris exhibet, et difficultatem spi-"randi, quæ erectâ cervice obiter inducit." Haud pauca symptomata Anginæ Tracheali propria in Boerhaavii Aphorismis invenienda sunt *; multa quoque Etmullero sub nomine *Catarrhi suffocativi*; item Tulpio, et Ghuscio †, medicis Italicis, indagari possint. Porrò, si animo perpendamus causas, quæ morbum nostro ævo cient, prorsùs incredibile esset, quinetiam, unà cum causis, vetustissimis seculis extitisset.

Attamen ejus vera natura et sedes diu, caligine obrutæ, occultè dilatescebant; neque detegi aut intelligi unquam potuerunt, nisi sectionibus

* Vid. Boer. Aphor. sect. vi. aphor. 37.

† Hic in lucem protulit anno salutis humanæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono.

sectionibus et observationibus veris, apud antiquiores tam raris et fallacibus, recentioribus solis familiaribus, feliciterque prosecutis; quarum ope cadaverum penetralia perscrutantur, causæ et sedes morborum deteguntur, opiniones antiquorum falsæ rejiciuntur, et medendi vera methodus designatur.

Hisce ducibus, viam veritati quàm optimè sternentibus, expertissimus Doctor FRANCISCUS HOME fretus et munitus, annos circiter quadraginta abhinc, hujus *Anginæ* historiam plenam in lucem protulit, naturam accuratissimè exploravit, et eam a cæteris anginæ formis segregavit*. Variæ opiniones ex illo tempore prolatæ essent; quarum investigationem, mihi et lectoribus meis pariter inutilem et fastidiosam, quarumque enumerationem tentamen meum debile nimis protracturam, prorsùs a proposito meo alienam, existimavi. Idcircò ad incepta pergamus; idque pro dissertationis argumento habituri, morbi primò definitionem;

* Vid. "Nature, Caufe and Cure of Croup."

definitionem; posteà nomen, et historiam; alias dein partes, more solito, tractare aggrediamur.

## DEFINITIO.

In libro qui inscribitur *Synopsis Nosologiæ Methodicæ*, a Culleno illust. edito, symptomata propria in Classe *Pyrexiarum*, et *Phlegmasiarum* Ordine, accuratè videntur enumerari; et hujus diffinitioni, ut cæteris omnibus anteferendæ, adhærere libet:

"Cynanche (*trachealis*) respiratione dif-
"ficili, inspiratione strepente, voce raucâ,
"tussi clangosâ, tumore ferè nullo in fauci-
"bus apparente, deglutitione parùm difficili,
"et febre synochâ *."

## NOMEN.

De proprio nomine hujus mali variæ extiterunt sententiæ. Nonnulli auctores sub titulo, *Asthmatis Infantium spasmodici* †; *Cynanchês*

* Spec. 3. Gen. x.

† Millar et Rush.

*nanchês stridulæ* * ; *Catarrhi suffocativi* † ; *Anginæ polyposæ* sive *membranaceæ* ‡, descripserunt. Apud Scotos nominatur *CROUP* ; et, diversis in locis, diversa nomina accepit ; quorum distinctiones, plus detrimenti quàm emolumenti pollicentes, inutiles esse ducimus.

## HISTORIA MORBI.

Hic morbus imprimis impuberes et infantes, rariùs adolescentes, rarissimè ætate provectos, adoriri solet. Haud negandum est, (quatenus aliter alii sentiunt), ætate provectos nonnunquam correptos esse. Hoc medicis peritissimis, summaque fide dignissimis, præsertim GREGORIO asseritur ; qui, se hominem anno ætatis trigesimo hoc malo laborantem tractâsse affirmat ‡. Apud ELLERUM inveniuntur quædam exempla. Nuperrimè quoque alterum exemplum, regio Edinensi Nosocomio,

* CRAWFORD, Dissert. Inaug.

† HILLARY's "Diseases of Barbadoes," an. 1758.

‡ MICHAELIS.

|| Aud. Prælect. de Prax. Med.

mio, præbebatur, HAMILTON medico; ubi homo viginti sex annos natus, ab eo correptus fuit *. Quis historiam casumque celeberrimi ducis WASHINGTON legens, dubitare potest, quin ex hoc malo acerrimo, anno etiam sexagesimo nono ætatis, intra quatuor et viginti horas periverit?

Ab his exemplis constat, homines primâ, mediâ provectâque ætate, huic malo obnoxios; verùm juniores, præcipuè a tempore sugendi usque ad pubertatem, obnoxiores esse. Verisimile est lactantes immunes evadere, propter teneritatem, laxitatem molitiemque corporis, morbis inflammatoriis minùs proclives; postquam verò ac mammis disjuncti sint, carnibus cibisque fortioribus vescuntur; quorum usu, pleniores obesioresque eveniunt. Hinc ratio clarè redditur, cur tam omnibus phlegmasiis, quàm huic morbo, opportuniores fient. Hoc ad propositum verba CELSI audiamus: "Longis morbis, senectus; acutis, adoloscentia magis patet."

Ex

* Anno 1801, Octob. MACLEOD.

Ex observationibus quoque constat impetus ejus in regionibus paludosis et humidis, itemque versus oras maritimas, usitatiores esse; rariores observari in locis aridis et montosis, a paludibus marique remotis. Hic silentio haud prætereundum, incolas regionum humidarum, crassiores minùsque impigres monticolis observari. Forsan his in locis aëris graviditas et humiditas, perspirationem supprimendo, quodammodo ad corporis crassitudinem conferre poterint. Prætereà, aër plus æquo humidus, quando frigori insolito conjunctus, calorem corporis citissimè abstrahit, perspirationem supprimit, fluidaque versus interiora dirigit. Hinc intelligitur cur monticolæ, et regiones aridas habitantes, immunes evadunt; curque incolis plagarum humidarum tam proprius et lethiferus fit. Prætereà temporibus procellosis, præsertim quando ventus ex oriente flat, tunc omnia in pejora ruunt. Morbus gravior evasurus vitæ arcem improbè obsidet, et vi vix superanda obsidionem sustinet; donec tempestate mitigatâ, donec cœli temperie calidiore factâ, nunc quasi sponte mitigatur et evanescit,

evanescit, iterum primâ nimbosâ procellâ reversurus.

Opinio percrebuit, hanc anginæ speciem nonnullis in exemplis e contagio originem ducere; quoniam per totas familias, per totos populos, (ruinam infandam rapacemque secum trahens), eodem tempore grassabatur. Sed hoc valdè absimile, et potiùs incredibile, videtur: etenim liberos sanos et morbosos unis in ædibus congregari, ludere, et habitare, quotidiè conspicimus; neque morbum ea de causa latiùs aut diffusiùs pervagari observamus *. Igitur, morbi origo, extensio, violentiaque, cœli temperiei humidiori, frigidiori, vel corporis conditioni debiliori, morbisque obnoxiori, haud injustè tribuendæ sunt.

## SIGNA MORBI.

Incipiente morbo, symptomata admodum varia sunt, et nonnunquam absque ullo indicio præeunte subitò invadit. Plerumque verò incipit

* Vide Transact. Lond. Societ. auct. Rumsey.

Ex observationibus quoque constat impetus ejus in regionibus paludosis et humidis, itemque versus óras maritimas, usitatiores esse; rariores observari in locis aridis et montosis, a paludibus marique remotis. Hic silentio haud prætereundum, incolas regionum humidarum, crassiores minùsque impigres monticolis observari. Forsan his in locis aëris graviditas et humiditas, perspirationem supprimendo, quodammodo ad corporis crassitudinem conferre poterint. Prætereà, aër plus æquo humidus, quando frigori insolito conjunctus, calorem corporis citissimè abstrahit, perspirationem supprimit, fluidaque versus interiora dirigit. Hinc intelligitur cur monticolæ, et regiones aridas habitantes, immunes evadunt; curque incolis plagarum humidarum tam proprius et lethiferus fit. Prætereà temporibus procellosis, præsertim quando ventus ex oriente flat, tunc omnia in pejora ruunt. Morbus gravior evasurus vitæ arcem improbè obsidet, et vi vix superanda obsidionem sustinet; donec tempestate mitigatâ, donec cœli temperie calidiore factâ, nunc quasi sponte mitigatur et evanescit,

evanescit, iterum primâ nimbosâ procellâ reversurus.

Opinio percrebuit, hanc anginæ speciem nonnullis in exemplis e contagio originem ducere; quoniam per totas familias, per totos populos, (ruinam infandam rapacemque secum trahens), eodem tempore grassabatur. Sed hoc valdè absimile, et potiùs incredibile, videtur: etenim liberos sanos et morbosos unis in ædibus congregari, ludere, et habitare, quotidiè conspicimus; neque morbum ea de causa latiùs aut diffusiùs pervagari observamus *. Igitur, morbi origo, extensio, violentiaque, cœli temperiei humidiori, frigidiori, vel corporis conditioni debiliori, morbisque obnoxiori, haud injustè tribuendæ sunt.

## SIGNA MORBI.

Incipiente morbo, symptomata admodum varia sunt, et nonnunquam absque ullo indicio præeunte subitò invadit. Plerumque verò incipit

* Vide Transact. Lond. Societ. auct. Rumsey.

cipit signis catarrhi communis; supervenit dein raucedo quædam clangosa, quæ, inter loquendum et tussiendum percipitur; quasi per fistulam metallicam irrueret sonus; quem Homius galli cantui, alii verùm gannitui canis comparent.

Statim symptomata morbo propria sese ostendunt. Hæc sunt, inspiratio strepens et sonora; respirationis difficultas; inquietudo; circa laringem dolores. Sensus caloris, et sitis magna, ægrum vexant. Pulsus frequens et aliquando durus est; progressu verò mollior et debilior evadit. Hisce adjunguntur tussis, et in infantibus aliquando vomitus materiæ viscidæ, puri similis, cum fibris mistæ, quæ aliquando bronchiorum ramulos formâ referunt. Cutis arida est: animus demissus et functionibus suis impar. Deglutitio tamen vix solito difficilior existit. Etiamsi in maximo periculo æger sit, appetitûs sensus, et devorandi potestas, integra manent. Aliquando tumor faucium internarum et rubor apparent. Sed plerumque nil morbidi percipi potest. Sanguis missus, ut in morbis

inflammatoriis apparet. Immensâ quantitate salivæ oneratur os, quam, propter dolorem rarò rejicere conatur ægrotus. Facies tumida, rubra, vel livida fit. Urina initio limpida et parca, posteà sedimentum deponit. Alvus plerumque adstricta, et simul abdomen tactui inflatum et durum est. Manus et pedes intumescunt. Si symptomata propriis remediis adhibitis, haud leviora fient; citò in deteriora omnia ruunt; et primo vel secundo die, ne intra horas sex miserandus arripi periclitatur *.

Ingruente morbo, pectus et caput sudore gelido obteguntur. Nunc pedes manusque frigescunt, et oculi languent. Facies et labia livescunt, quæ nuper rubebant. Arteriarum ictus, tum vi, tum frequentiâ, inæquales inveniuntur. Expiratio frequens magnoperèque suspiriosa fit; et omni inspiratione arriguntur humeri: intereà musculi abdominis convelluntur; et jamjam unumquodque signum suffocationis appropinquantis minitatur; et præcipuè sensu coarctionis in faucibus miser

* Vide Ferriar's "Medical Histories," pag. 139.

ser subitò perit. Hæc miserrima rerum facies spectaculum exhibet, omnibus horrorem justè incutiens. Sed terminatio tam lethalis huic morbo non semper occurrit. Et etiamsi rarò ultra hebdomadam perstare solet, non desunt exempla in quibus ad decimum vel decimum quintum diem protrahebatur morbus, et tandem exitialis fuit. In quibusdam quoque, postquam symptomata paulisper conquievissent, revisa sunt, et indomito furore sæviêrunt: Hæc verò inusitatiora sunt *.

Hìc haud omittendum est, morbum nonnunquam evidenter mitiùs, verùm fallaciùs procedere, spasticam formam magis magisque induentem; etenim initium ejus tam insidiosè obrepit, ut rarò ullum periculum timendum aut præcavendum ægroti amici suspicantur, morbo ab illis considerato quasi tussi, leni raucedine quâdam comitatâ. Attamen, propter respirandi difficultatem, febrilis calor subindè instat, cum perspiratione profusa circa caput et faciem solùmmodò, reliquâ

* Vide ALEXANDER "on Croup."

reliquâ corporis parte sudore immuni. Super vultum, anxietatem summam exhibentem, guttæ amplissimæ sudoris pendent; mutationes ejus variæ et ultra modum frequentes sunt; facies modò rubra, modò æquè pallida ac corpus exsangue, evadit. Sub fine tertii diei symptomata, anteà mitissima, nunc gravissima et periculosissima eveniunt, adeò ut omnia subitaneam mortem misero ægro intentent; non tantùm, merâ violentiâ generalis affectionis, quantùm suppressione organorum respirationis, brevi lethifera evasurâ. Eodem tempore hæc suppressio adventura, clarè indicatur nisu inani infantuli, qui, quasi instinctu quodam, aliquoties parvos digitos in os immitit, ad aëris obstructionem removendam. Eheu! molimen vanum, et pessimum omen!

Morbida affectio systematis hoc in morbo planè symptomatica consideranda est; etenim minuitur et augetur prout respiratio afficitur, manifestè ostendens affectionem a respiratione læsâ pendere. Affectio systematis versus noctem haud rarò pejor evadit, verùm, periculum

non

non omninò æstimandum est, a generali corporis statu; nam discrimen summum afflicto insonti immineat, etiamsi pauca vel nulla generalis affectionis symptomata observanda sunt. Hanc ob causam multa exempla fatalia obveniunt, neque prævidenda aut prævertenda; nam infantes, cursu hilari et lusu insonti, solito in more fruuntur, quasi optimâ sanitate gaudientes, et sic sæpissimè pergunt usque ad mortis horam, quando improvisò extinguuntur.

## DE INCISIS CADAVERIBUS.

Facies externa, ut in submersis plerumque apparet, (nam his, pariter ac illis Cynanche Tracheali extinctis, facies tumescit et livescit), oculi prominent ac sanguine turgent. In cadaveribus sectione inspectis, tota superficies interna asperæ arteriæ ferè semper obducitur membranâ præternaturali, tubulatâ, crassâ et densâ, colorem modò albidum modò subflavum exhibente. Hanc inter et tu-

nicam

nicam propriam tracheæ, magna copia materiei puriformis, ei simillimæ, quæ tussi ejicitur, interponitur, adeò ut perfacilè sejungi potest tunica spuria ab altera propria. Aliquoties etiam aliqua ejus pars jam sejuncta inventa est. Deorsùm indagatione factâ, per tracheæ ramos eadem ferè membrana, tenuior verò, invenitur. Bronchia ipsa, in nonnullis casibus, mirum in modum muco infarciuntur, et perforata facilè eum effundunt. Partes subjacentes paululùm rubescunt, præcipuè tracheæ pars superior; tamen, neque per totum ejus tractum, ullum signum aut erosionis aut exulcerationis deprehenditur. Talia sunt usitatissima rerum phænomena: in aliis verò prorsus diversa nonnunquam observantur: ut expertissimi RUSHIUS et MILLARIUS sæpè sæpiùs viscera omnia diligentissimè rimati, et nullum morbi inflammatorii indicium deprehendere potuerunt*. Hi verò hunc morbum spasmodicum, et inflammatione omninò vacuum esse; pediluvio, sanguinis

* Vid. Dr RUSH, "Letter to Dr MILLAR, 1770."

sanguinis detractione, assafœtidâ, similibusque antispasmodicis, tantùm curandum contendunt.

## CAUSÆ REMOTÆ.

In Prædisponentes et Excitantes haud immeritò sunt divisæ.

*Prædisponentibus* recensetur infantia. Impuberes, ut suprà exposuimus, potiùs quàm adulti cynanchês trachealis aggressionibus procliviores existimantur. Neque est ratio hujus intellectu difficilis; nam corpora eorum tenera, ac sensilitate exquisitiore prædita, irritationes maximè leves percipiunt; variasque in commotiones a causis facilè conjiciuntur, quæ, provectiore ætate, vel parum vel nihil incommodi afferunt.

Temperamentum sanguineum præ omnibus aggreditur; nam diathesis phlogistica est præcipua corporis conditio e qua proclivitas, tam ad cynanchem trachealem, quàm ad reliquas phlegmasias, oriri videtur. Hæc interdum innata, interdum quoque acquisita

est

est vitæ genere. Hi item magno ingenio præditi, aggressionibus hujus anginæ sunt procliviores. De hoc malo DISNEY ALEXANDER loquens, sequentia habet verba: "Those of "an unusually florid complexion, and plethoric habit, and who possess an activity "and vivacity of temper disproportioned to "their years, are most obnoxious to it *."

Qui semel hoc malo laboraverant, in eum iterum incidere magis periclitantur, quàm alii: omnis autem impetus, mox prægresso lenior evadit. Omnia etiam quæ vel debilitant vel irritant organa respirationi inservientia, proclivitatem ad anginam efficiunt. Hinc post variolam, rubeolam, pertussem, catarrhum, anginam malignam †, et tonsillarem, accidere solet: Itemque pneumoniæ nonnunquam supervenit ‡.

*EXCITANTES.*—Frigus, humore conjunctum, pro causa excitante cynanchês trachealis, pariter

riter

* Vid. D. ALEXANDER, "Treatise on Croup."

† Vid. CURRIE's "Medical Reports," pag. 436.

‡ Vid. FERRIAR's "Med. Hist." p. 140.

riter atque aliarum phlegmasiarum, justè habetur. Omnes quoque subitæ cœli vicissitudines hunc morbum præcipuè excitant. Hinc sæpiùs in locis paludosis apparet, et iis potissimùm anni temporibus cum cœlum maximè mutabile est. Omnis nisus violentus, nimirùm vociferatio, tussis, cæteris jam dictis, annumeranda sunt. Corpora extranea, demùm, in tracheam illapsa, dotibus mechanicis vel chemicis irritantia, morbum nostrum excitare queant *.

## CAUSA PROXIMA.

Antecedentibus, causis remotis, cadaverum sectionibus, naturâ et operatione medicamentorum fructu adhibitorum, simul ritè perpensis; nemo inflammationem membranæ mucosæ laryngis et asperæ arteriæ, proximam hujus mali esse causam, dubitare potest. Culleno, quoque, de hac re accedere inducti sumus, qui dicit, quamvis affectio inflamma-



* Vid. Home.

toria rarò aut nunquam in suppurationem aut gangrænam desinit, molestissima verò et infaustissima anginæ signa videntur constare, spasmo glotidis et musculorum in ejus vicinitate, qui, unà cum exudatione e superficie inflammata, suffocationem creat. Nam cessatione spasmi, et liberâ materiei expectoratione, ex qua citò formatur membrana spuria, partibus liquidis vel absorptis, vel per respirationem dissipatis, tollitur morbus, aut sanitate terminatur *. Hinc concludere spasmum aliquando adesse, haud absurdum est, et affectionem spasticam glottidis vel laryngis musculorum, ab inflammatione, æquè ac in aliis corporis partibus, exoriri nullus dubitavit.

Alii denique, Millario et Rushio ducibus, ostendunt, alteram esse speciem anginæ trachealis, et inflammatione omninò vacuam: spasmumque musculorum laryngis, causam hujus proximam esse contendunt.

DIA-

* Vid. "First Lines," parag. 327. et seq.

## DIAGNOSIS.

Morbi qui hunc maximè simulant, sunt catarrhus, pertussis, cynanche maligna, cynanche tonsillaris, pneumonia, et asthma; et quo modo ritè dignosci possunt, ordine considerabimus.

Cum *catarrho*, stadio præsertim novissimo, tantam similitudinem habet, ut difficilè secerni possint. Sed stridor ille notabilis, tussis clangosa, ac dyspnœa gravis, catarrho ignotæ, cynanchem trachealem satis designant, omnemque dubitationem tollent.

A *pertussi* distinguitur, quod contagione nunquam propagatur: pertussis, nisi initio, nunquam pyrexiâ stipatur, et in eo tussis, intervallis certis, recurrit, et inter paroxysmos æger non afficitur dyspnœâ; neque eundem parvulum plus semel afficit. In angina tracheali, contrà, vix sine pyrexia aggreditur; spirandi difficultas constans est, ociùsque vigescit; et ii qui cynanche tracheali subditi fuerunt,

fuerunt, aggressionibus futuris hanc propter rationem opportuniores fiunt.

Signa, quibus perfacilè internosci queat, a *cynanche maligna*, sunt sequentia: in hac adsunt faucium tumor et rubor; crustæ mucosæ, albescentes vel cineritiæ, quæ abrasæ, ulcuscula subjacentia ostendunt, unà cum febre typhode, et multoties exanthematibus; et naturæ maximè contagiosæ est.

Secernitur e *cynanche tonsillari*, rubore et tumore tonsillarum et faucium, deglutitionem impediente: potissimùm verò voce stridulâ, cynanche tracheali propria*. Hoc tandem signo solo, satis certè ab omnibus cynanchês speciebus dignoscere potuimus.

Ab *asthmate*, facilè distingui potest angina trachealis. In illo paroxysmi dyspnœæ subitò ingruunt; et quasi periodicè revertentes, eunt redeuntque per intervalla quædam, licèt incerta et nondum definita; provectosque ætate potissimùm adoritur. Hic verò morbus

* Eam cum voce avis terrifactæ comparat MONROIUS, Thes. Inaug. 1786.

bus gradatim accedit et increscit; ferè semper continens est, et brevi tempore aut ipse finitur, aut ægrum abripit.

*Pneumoniam* ab angina tracheali satis certò dijudicare valebimus, a sede morbi. In illo dolor in latere mordens est, et summo sine dolore æger lateri affecto incumbere nequit; sub inspiratione augetur; et medios provectosque ætate præcipuè invadit.

Denique, cynanche corporibus extraneis in tracheam ingressis excitata, ab vera, dictis et querelis ægroti facilè dignoscuntur.—His igitur, aliisque signis jam anteà in historia designatis, in memoria retentis, quàm facillimè hunc ab aliis morbis dignoscere possimus.

## PROGNOSIS.

Periculi gradus in omnibus morbis judicandus est ex partis affectæ momento, et causis morbum inducentibus; e sede morbi, et modo quo gignitur. His benè consideratis, constabit cynanchem trachealem etiam a primo

mo exordio haud periculi expers esse. Prognosis nostra igitur, aut saltem dubia est, et summa sine cautela et prudentia nunquam institui debet: nam signa ex remissione morbi deducta, sæpè fallacia sunt; et ægrotus quanquam ad sanitatem reduci videatur, reditu morbi brevi temporis spatio rapi periclitatur.

Quò minus ætatis pueris acceſſit, eò majori periculo objiciuntur. Plus quoque spei initio, quàm in progressu morbi effulget. Si morbus jam tres dies inobservatus duraverat, neglectusve ingravescere sinatur, medico nondum arcessito; exitus malus timendus est. Signa quæ periculum summum præsagiunt, sunt, pulsus debilis et intermittens, respiratio difficilis, anxia et sonora, vocis stridor, facies collapsa, labiorum lividitas vel plumbea decoloratio. Si sudor algidus super faciem erumpat, et si motibus convulsivis violenter vexatur æger, celerrimè infelicem eventum expectare licebit. Contrà, morbi solutio speranda est, si symptomata inflammationis, idoneis remediis adhibitis, levari incipiant, si

arteriarum

arteriarum ictus æquales sint, et satis virium habeant; et si vox et respiratio parùm mutatæ sint. Denique, expectoratio vel membranæ ipsius, vel materiæ crassæ, maximam reduentis salutis spem fovet.

## DE CURATIONE.

Ad diathesin phlogisticam minuendam aut arcendam, nullum remedium melius aut efficacius, *sanguinis missione* habendum est. Hoc consilio, si magna vis inflammationis urgeat, sanguinem quàm proximè affectæ parti mitti, nonnulli jubent; nimirùm ex una vel etiam ambabus venis jugularibus. Sed hoc, in cynanche tracheali citra periculum absolvi nequit, propter tussim, vomitum, vagitum, et continuam inquietudinem ægri. Prætereà, in infantibus sanguinis fluxus haud facilè sistitur, et remedia ad hoc efficiendum generaliter usurpata multùm nocent, suffocationem venturam partim promoventia.

Vice sectionis venarum jugularium, cucurbitulæ vel hirudines, gutturi externo admotæ, ab

ab aliis commendantur; verùm, non bonâ ratione, nam prædictæ objectiones his magis faciendæ sunt.

Sanguinis jactura igitur, si necessaria videatur, elici debet ex incisa brachii vena; utque prosperè cedat, opus est ut, ineunte morbo solummodò, instituta sit, quoniam plerumque vires systematis lædit, quæ malo ipsi nimis citò cedunt. Infantibus præcipuè cautè et parcè mittendus; nam hi sanguinis jacturam ullo tempore malè tolerant. Signa in tempus brevissimum tantùm levare valebit talis depletio, et forsan eventum fatalem mali festinabit, effussionem in spiramenta provomendo; quæ, partibus aquosis absorptis et residuo densato, citò in membranam transit, difficillimèque ejicitur *. Jam dictum fuit, sanguinem in initio tantùm, non omninò provecto morbi stadio, detrahendum. In provectiore ætate verò, vel in adultis, hæc detractio magis commendanda, liberiùs et seriùs exercenda est, præsertim ubi egrotus sit robustus

* Vide Monro, Thes. inaug. De Suffoc. strid. 1786.

bustus et plenus, et si pulsus durus et diathesis phlogistica indicant.

Alvi durities, per totum morbi decursum, removenda est *clysmatibus* lenibus: efficacior verò dejecta erit *catharticis* per os sumptis, si infans devorare possit. Submurias Hydrargyri huic malo maximè convenit; nam grato sapore infantem, absque compulsione aliqua aut vagitu, capere illicet; si enim infans ad ejulandum vexatus erit, periclitatur ne suffocatione subitâ pereat. De hujus effectibus Rushius et Alexander testantur; quorum alter febrem intermittentem haud certiùs cinchonâ sanari, quàm hæc species anginæ submuriate hydragyri, affirmat *. Docet quoque Dr Hamilton, se sæpè sæpiùs maximo cum fructu ad calomelanem confugisse, votisque suis semper respondisse, nisi labia facta fuerint livida antequam advenerit, jubetque dosibus minimè exiguis dari. Quoniam infantes cathartica vel emetica meliùs quàm adulti tolerare plerumque inveniuntur; gra-



* Vide Rush, "Medical Inquiries," et Alexander, "Treatise on Croup."

na tria ad quinque usque hujus medicamenti, formâ boli, adhiberi; et intervallis idoneis iterari possint, secundum signorum violentiam, ægroti vires et ætatem, vel potiùs donec alvus soluta fuerit. Materies dejecta plerumque fœda est, et coloris subviridis, ad spinaceam comminutam similitudine appropinquantis. Sed ad felicem mali exitum efficiendum, calomelas continuandus est per duos aut tres dies saltem, et oportet gradatim minui, vel longiora post intervalla repeti *.

*Emetica*, præcipuè ex Tartritide Antimonii, si maturè adhibeantur, motu convulsivo quem excitant, prodesse possint, aëra per tracheam violenter propellendo. Mucum quoque, vel crustam, si jam formata sit, rejiciendo, sub morbi finem jùvant. Utilia quoque sunt dosibus nauseam cientibus tantùm data, quippè haud rarò febrem fugant, vel ejus violentiam insigniter minuunt, et inflammationem partium internarum digerunt, excretionem per cutem promovendo. Ventriculi et intestinorum sordes quibus gravantur abluendo, multùm

* Aud. Prælect. de Art. Obstet.

tùm prosunt emetica; in excessu autem, vires magnoperè frangunt, ideoque parvulis in dosibus, et subindè repetitis, capienda sunt; donec vel alvus respondeat, vel cutis halitus supervenerit.

*Vesicatoria* in plerisque viscerum affectibus, sive inflammatoriis sive spasmodicis, præsenti sunt auxilio. Quò maturiùs et propiùs laryngem admoveantur, eò plus prodesse valebunt: vi stimulante seu antispasmodicâ et laxante, sanguinem ad externas partes derivant, et evacuationem topicam faciunt.

*Expectorantia.*—Vapores aquæ, vel aceto impregnatæ, intra pulmones recepti, summo cum fructu usurpantur. Hi potentiâ relaxante membranam spuriam emolliunt, et mitissimo simul stimulo effusa ejici præparant. MONRO asserit, vapores Capsici vel Piperis *Guineensis*, hoc tempore, necessarios evadere; quoniam larynx, sensu suo naturali magna ex parte orbata esse reperitur *.

Radix Senekæ et Digitalis, nonnullis dicuntur hoc in morbo effectus salutiferos manifestare,

* Dissert. Inaug. pag. 33.

tare, et eum brevì fugare *. De horum verò remediorum virtutibus, utpote his in regionibus nondum expertis, non nostrum est disserere.

Assafœtida a MILLARIO maximis laudibus effertur; magnis et frequenter repetitis dosibus adhiberi monet, per os et formâ enematum. Alia sunt hujus generis remedia, Moschus, scilicet, Opium, Æther sulphuricus, Camphora, et Balneum calidum. Experientia autem docet, ea non admodum utilia esse †.

Quum omnia anteà citata nos fallunt, et nulla spes vitæ relinquitur; quid faciendum? Heu!

"Una salus victis, nullam sperare salutem."

*Bronchotomia* postremum remedium est, et certè tentandum, quanquam forsan nil fructûs in eo reperietur.

FINIS.

* Vid. "Med. & Physic. Journal."

† Vid. CULLEN's "First Lines," et HOME "on "Croup."